

321

319

325

laudabilior produceretur effectus, is civitati nomen imponeret,
Neptunus percuesso tridente solo equum produxit, Minerva autem
hasta percutiens produxit olivam, quae quoniam utilior visa est
equo, Minerva ex suo nomine nuncupavit Athenas, nam Minerva
a Graecis Athena nominata est, et Minerva dea sapientiae et
Athenae civitas sapientiae. Hinc fuit Plato, doctor totius Graeciae,
hanc Demosthenes eloquentia per multorum saeculorum tempora pu-
blicavit. Sed super omnia commendat Areopagita Pauli discipulus
Dionysius, cuius sapientia omnes saeculi partes illuminavit. Ve-
tustissimum fuit Athenaeum regnum, ibique viguit per multa tem-
pora et potentia et sapientia in tantum, ut ad nihil aliud vacarent
Athenienses, nisi aut dicere aut audire aliquid novi, ut dicitur
Actorum XVII. In hac urbe fuerunt constitutae gravissimae leges
pro pacifico et virtuoso hominum convictu. Primae tamen leges
fuerant contra mulierum praesumptionem latae, quod sic accidit.
Constituta civitate ortum fuit grave litigium inter deos de ejus
nomine imponendo. Neptuno adhaeserunt omnes viri, mulieres
vero Minervae, quae et obtinuerunt, ut ex Minervae nomine civi-
tas appellaretur, et sic Athena graece, quod latine Minerva dici-
tur, eo, quod mulierum voces una virorum superavit numerum.
Quamobrem iratus Neptunus marinis aestuantibus undis Athenien-
sium terras depopulatus est, quem cives placare volentes triplici
lege suppicio mulieres affecere: primo ut de coetero nullis publi-
cis interessent consultationibus; secundo, ut nullus nascentium cog-
nomen maternum acciperet; tertio, ne quis eas Athenas vocaret.
De hac urbe loquitur Augustinus L. 18. de Civitate Dei. Dum
ergo prope littora Athenarum essemus et monstratus nobis fuisse
situs et locus tam celebris, urbem aspexi non dicam Athenas, sed
earum dum fere consumptum parvumque vestigium intuerer, risi
nostrae mortalitatis insana judicia, quibus vetustas decepta, dum
illas futuras (**180 a**) perennes arbitraretur, primo deos in item
nominis imponendi traxit.

Inde eas vocavit eorum sententia immortales, nunc paucis
elapsis saeculis ruinis suum finem venisse testatur, in mortem
prefecto nos et nostra corruunt omnia celeri passu. Attamen quan-
tumcumque exinanitam civitatem, imo potius civitatis bustum, vi-
derem, memorare coepi, quanta philosophorum ac poetarum luce,
quanto studiorum omnium decore, quanta regum ducumque gloria,

Ende

Anfang

